Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35040
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



successores. Sane non aut[em] nunquam ipsorum est intuitus movere
voluntatem a malo in bonum absit hoc enim deo proprium catholica
doctrina profitetur neque tamen per hoc iustificarentur presentes sacer-
dotes expellendo prout facile cognoscent si apostolum ad Ro-
legat dicentem non sunt facienda mala ut eveniant bona
immensa autem dei sapientia propter maiorem bona permittat mala
sed mala facere propter bona longe relegatum est ab illa iustissima
providentia. Ecce sacerdotes etiam malos in tuitu sacerdotii
hussite non istum honorent non occidant non expellant non
aliam penam infligant ut deum sibi propitium inveniant
et tanta per hanc propositionem sufficiant.

Secunda propositio sequitur

Sancta ecclesia ad fine perfectionis cumulum exigit
religiones a capite suo Christo etiam originaliter
institutas hec propositio ostenditur primo ex ratione naturali
quia enim unumquodque agens agit sibi simile ut dicitur
vii° methaphisice quanto aliquis status in ecclesia est deo similior
tanto potius debet tamquam ascribi Christo status autem religionis
communiter inter status perfectionis non ergo illius status plantatio
debet denegari esse plantata a patre celesti pro huius ple-
niori intellectu iuvat nos apostolus primo ad Thoma xii scribens
hoc modo divisiones gratiarum sunt idem autem spiritus et divisiones
ministrationum sunt autem dominus et divisiones operationum sunt idem
vero deus qui operatur omnia in omnibus. Qui variis dei
donis enumeratis tandem concludit hec autem omnia
operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult
inde fit quod deus ex beneplacito proprie voluntatis quosdam homines
ultra quemcumque modum inflammat ad desiderium bonorum celestium
et quia homo constituitur medius inter ista transitoria et bona
celestis patrie spiritualia necesse est quod quanto plus inhaeret rebus
temporalibus tanto longius distat ab altero extremo bonorum
spiritualium. Qui igitur adeo in amorem illius celestis thesauri
et preciose margarite sunt accensi quod tota intentione et ex omnibus
viribus illuc suspirant libenter quelibet impedimenta
deponunt que insistere possunt contra liberum volatum ad sursum
in superna libenter ergo renunciant bonis huius mundi quibus
licite possem uti. Bona autem huius mundi que ad usum
vite humane pertinent in tribus consistunt scilicet in divitiis
quibus renunciamus per voluntariam paupertatem in deliciis
carnis quibus renunciamus per continentiam et in superbia vite quam
abdicamus per obedientiam propter quod in voto istorum trium completur
religio que statum perfectionis importat quia sunt quinstrumenta
quedam expeditius veniendi ad caritatem perfectam que est vinculum

80